



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas
Missalis

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindellicorum, 1740

VD18 10783695-002

De Benedictione Calendarum, & Processione in Purificatione Beatæ Mariæ
Virginis. XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39964

rem) affirmant, Divum Ambrosium, ad persuasionem D. Monicæ, usum Vigiliarum ea de causa ab Ecclesia eliminasse, quod Christianorum plurimi illud noctis tempus ludendo, & Choreas ducendo transigerent, nam hoc validis argumentis Baron. à Gav. citatus, in *notis Martyrologii ad quintam diem Januarii lit. A.* falsissimum esse, & ab Augustiniano calamo alienum demonstrat. Igitur, ut ait idem Baronius ibidem, non Ambrosius, non Augustinus, nec alius Orthodoxorum iis temporibus, Vigiliis nocturnas Ecclesiasticas abrogavit, vel minuit, sed impurissimus Hæreticæ Vigilantiæ, Vigiliis, sui nominis hostis, impugnavit, sicque minuere conatus est, ut non nisi semel in Anno, in Paschali solemnitate, Vigiliis peragendas esse jactaret: ita ex Hieronymo *adversus Vigilantiæ*, cujus intentio ad abrogandas in Ecclesia Dei Congregationes tendebat; idem Baronius Anno 51. quæ o-

mnia confirmari possunt *Can. 1. Matisonensis Concilii* habiti Anno 581. duo ferme Secula post DD. Hieronymum, & Augustinum, in quo Canone approbantur Vigiliæ ante Dominicis totius Anni, quæ assidue à Fidelibus frequentabantur, & quamvis Concilium Antiochodorense *Can. 3.* prohibuisse videatur Vigiliis, non de Vigiliis sacris, & publicis in Ecclesia celebratis ibi egisse, ex ejusdem verbis satis liquet. Eliberitanum verò Concilium *Can. 35.* interventum Fœminarum in Vigiliis utique prohibuit; alii verò perperam Vigiliarum nocturnarum prohibitionem Bonifacio Papæ I. tribuunt. S. Leo Papa, qui tertio loco illi successerat, Vigiliarum observantiam crebrò in suis Sermonibus inculcat. De hac materia in Additionibus nostris *ad sect. 3. c. 7. tom. 2.* continentis Commentaria ad Rubricas Breviarii Romani iterum sermonem habebimus.

Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

Tit. XIV. De Benedictione Candelarum, & Processione in Festo Purificationis Beatæ Virginis.

De origine, & antiquitate Festi Purificationis B. Virginis. §. I.

I. Gavant. pag. 219. col. 1. n. 1. *A Græcis Hypante, seu Hypapante. &c.*) Festum hoc Purificationis B. M. V. Græco nomine *Hypante*, seu *Hypapante* dicitur, quasi occursum, quo alicui honoris & officii gratia obviam itur. Quoniam verò hoc Festum institutum fuit à b Ecclesia in memoriam illius diei, quo Christo cum Matre & Josepho ad Templum accedenti obviam venerunt Simeon & Anna, gratulantes, & benedicentes Deo, ut habetur etiam in Menologio Græco ad hanc diem, ideo in Ecclesia Orientali prædictum nomen *Hypante*, seu *Hypapante* sortitum est; ab aliquibus verò dicitur *Hypante Domini*; ab aliis autem *Hypante Simeonis & An-*

nae; sed à Theophylacto Simocatta *lib. 8. Histor. cap. 4.* appellatur quadragesima dies celebritatis Natalium *Magni Dei Jesus*. Ex præcepto siquidem Legis Mosaicæ Mulier, quæ Masculum pepererat, elapsis quadraginta diebus purificabatur in Tabernaculo, & post Templum à Salomone constructum, in Templo, oblationibus à lege præscriptis, & quamvis purissima Dei Genitrix, quæ de Spiritu Sancto conceperat, nulla prorsus Purificatione indigeret, & à prædicta legis veteris dispositione immunis esset, ut certum est apud omnes, & clarè ostendit Laurentius Massæi in suis eruditissimis notis ad Sigoniam Hebræorum Rempublicam, quæ ex-

Ttt 3

tant

tant tom. 4. *Collectan. Mediolan.* pag. 224. annot. § 8. & 59. nihilominus Beatissima Virgo, quadraginta diebus elapsis à salutifero partu, voluit prædictam legem adimplere, & cæteris puerperis se conformare.

II. Gavant, pag. 219. col. 1. eodem num. 1. *Et cæpta est coli Constantinopoli sub Justiniano Imperatore, &c.* Prædictum Festum Hypante priùs institutum fuisse apud Græcos, quàm apud Latinos, conveniunt rerum Ecclesiasticarum Scriptores. Cedrenus refert institutionem hujus Festi ad Annum nonum Justiniani Magni, cum Antiochia corruit gravi terræ motu concussa. Anastasius Bibliothecarius in Historia Ecclesiastica, Teophanis opinionem adharendo, illam Justiniani ævo consignat, dicendo: *Anno Justiniani 15. Mense Octobris facta est Byzantii mortalitas, & eodem Anno Hypante sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium secunda die Februarii.* Eadem habet Landolphus Sagax in *Vita Justiniani.* Siebertus in *Chronico ad Annum 542.* adhæret eidem sententiæ, & apud Martyrologium Ufuardi die secunda Februarii hæc leguntur: *Hypante Domini, & Purificatio B. V. quod Festum tempore Justiniani Imperatoris apud Byzantium, seu Constantinopoli sumpsit exordium.*

Verùm nonnulli Scriptores Festi hujus institutionem in Ecclesia Orientali longè antiquiorem existimant, putant enim, Methodium Episcopum primò Olympi, & Patarz, Maritimarum Lyciæ Urbium, tum Tyri in Phœnicia, qui quarto ineunte Sæculo martyrii palmam adeptus est, putant, inquam, Methodium illius fecisse mentionem in Homilia edita à clarissimo Combesisio in Amphilochio, sicut & Gregorium Nyssenum celeberrimum ejusdem Sæculi Scriptorem, aliosque à Bollando tom. 1. Mensis Februarii, & à Petro Galefinio laudatos in suis eruditissimis Adnotationibus ad Martyrologium 4. nonas Februarii. Addunt, Cyrillum Hierosolymitanum de ceremonia etiam Cereorum verba fecisse; idcirco concludunt, vel Ju-

stinianum instituisse Constantis opoli Festum, quod jam pridem in aliis Orientalis Ecclesiæ Provinciis colebatur, vel nova sanctione instaurasse hujusmodi Festum sollempniori Ritu celebrandum. Huic ego sententiæ meum facillè præberem assensum, si certò constaret, laudata opera iis esse Auctoribus ascribenda, quorum nominibus indignantur sunt. Verùm Thomassinus lib. 2. de *Festis* cap. 11. n. 6. alique Scriptores putant ea opera esse abjudicanda illis Patribus, vel excerpta fuisse ex aliis eorumdem operibus, præsertim ex Commentariis in Evangelium Lucæ, ubi mysteria hæc enarrantur. Quidquid tamen sit de hac opinione, in illis veterum Testimoniis fundata, fatetur nihilominus ipse Thomassinus, suscipiari posse Festum hoc ante Justinianum alicubi fuisse peractum; propterea quòd Nicephorus scribit, præcepisse Justinianum, ut toto Terrarum Orbe celebraretur.

III. Gavant, pag. 219. col. 1. eodem n. 1. *At sub Gelasio, ait Baronius, qui abbas Lupercalia circa annum 456.* Quando institutum sit in Ecclesia Occidentali hujusmodi Festum, adhuc incertum est. Si Romanum Kalendarium à Martene vulgatum tom. 4. *Theauri Anecd.* desinente Sæculo IV. vel iunte V. exaratum fuisset, quemadmodum certissimus ejus editor sibi persuasit, certissimo argumento probaretur, hujusmodi sollempnitatem antiquissimam esse, & priùs in Occidentali quàm Orientali Ecclesia institutam, cum in eo ista legantur: *Die secundo mense Februarii Hypapante, &c.* sed nonnulla sunt in peractissimo Kalendario, quæ tantam illi vetustatem abjudicant; immò ex hoc ipso doctissimus Pinus in *Tractatu Historico Chronologico de Liturgia antiqua Hispanica* cap. 9. §. 5. suspicatur, minoris illud Kalendarium antiquitatis esse. Sanè incredibile omnino videtur, hujus Festi nullam fecisse mentionem Sacramentarium à Gelasio conscriptum, si jam ab initio Sæculi quinti celebratum fuisset in Ecclesia Romana. Baronius, cujus sententiam

tiam noster Gavantus amplectitur, in notis ad Martyrologium Romanum, credidit huius solemnitatis institutionem in Ecclesia Latina Gelasio Romano Pontifici esse tribuendam, qui Anno 496. sustulit Lupercalia, quæ Mense Februario Romæ peragebantur, idque colligit ex Libello Apologetico ejusdem Pontificis contra Andromachum Senatorem. Annalibus suis inserto, ex quo etiam colligit, Gelasium Lupercalium abolitione ceremoniæ luminarium viam aperuisse. Longius progrediuntur Edmundus Martene de antiqua Ecclesia disciplina cap. 15. & Jacobus Evellon in libro de Processionibus Ecclesiasticis cap. 7. isti enim constanter affirmant, ceremoniam accensurum cereorum à Gelasio I. Summo Pontifice institutam fuisse, quod ex citato Libello adversus Andromachum sibi colligere posse videntur. Quod spectat ad Festum, confidenter asserunt, Gelasio adscribi non posse, illius enim mentionem fecisset in suo Sacramentario, ex quo evidenter sequitur, neque Processionis hodiernæ, & ceremoniæ cereorum institutorem fuisse; nihilominus negare non possum, huic ceremoniæ viam aperuisse Gelasium, quod negat Vir eruditissimus, mihiq; amicissimus, Laurentius Maffei in notis ad Vitam Sergii Pontificis num. 8. ea ratione ductus, quod in Apologia Gelasii adversus Andromachum nullum verbum de Ritu luminarium occurrat; attamen cum Ritus hic Lupercalium, & lustrationum, quæ à Paganiis Mense Februario in Plutonis honorem fieri consueverant, abolitioni susceptus fuerit, ut testatur Beda in lib. de temporum ratione his verbis: *Secundum mensum Numa dicitur Februo, id est Plutoni, qui lustrationum potens credebatur, lustrari quoque eo mense Civitatem necesse erat, quo statuit, ut iusta (id est Sacrificia, ut idem Beda interpretatur lib. de divisionibus temporum) Diis manibus solverentur; sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutavit Christiana Religio, cum in mense eodem, die S. Mariæ Plebs universa, cum Sacerdotibus, ac Ministris,*

hymnis modulata vocis per Ecclesias, perque congrua Urbis loca procedit, datosque à Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes. Certè qui Lupercalia delevit, susceptæ ceremoniæ viam aperuisse videtur, cum Lupercalium ludi sine lustratione non fierent, nocturno enim tempore peragebantur; cum instituti essent Mense Februario Diis Inferis sacro, quibus Sacrificia de nocte fieri solebant. Videatur Pitiscus v. *Februarius*, & v. *Lupercalia*, ubi reperietur, Lupercalia cum lustrationibus fuisse conjuncta. Ut redeamus ad Festum, probabiliter opinamur, vel Justiniani temporibus, vel paulò post ipsum, ab Ecclesia Romana fuisse susceptum; ejus enim meminit Gregorius in suo Sacramentario, tum à Pamelio, tum à Menardo vulgato, tum etiam in antiquiori, quod vidit Card. Thomasius.

IV. Gavant, pag. 219. col. 1. eodem n. 1. *Sergius additis Litanias, & Processiones cum cereis accensit.* Non desunt qui velint, Sergium hodiernæ Processionis auctorem esse, libri Pontificalis, & Romani ordinis auctoritate suffulti. Sed ante Sergium Ritus hic in Hispania, & Gallia vigeat, ut constat ex Sermone primo S. Idelphonsi, qui floruit Anno 644. & ex Homilia secunda in Purificatione S. Eligii Noviomenis Episcopi, qui obiit Anno 665. Solum igitur suspicari possumus, Sergium, qui præfuit Romanæ Ecclesiæ Anno 687. Ceremoniam hanc Romanæ quoque invexisse; id enim, quod certò affirmari potest de Sergio, est, ipsum ordinasse, ut Processio hujus Festi, sicut & Annunciationis, Nativitatis, & Assumptionis B. M. V. exiret ab Ecclesia S. Adriani, & terminaret ad Ecclesiam S. Mariæ Majoris, ut scribit Auctor libri Pontificalis in ejus Vita. Hinc colliges, hæc verba: *Oratio ad Collegiam ad Sanctum Adrianum, & alia: Missa ad Sanctam Mariam Majorem,* quæ hac die leguntur in Sacramentario Gregoriano à Pamelio divulgato, addita fuisse post

post Sergii tempora. Alter enim Codex Gregorianus à Thomasio visus, & examinatus (& cujus ope exhibentur Additiones, quæ in Pameliano defunt) illa verba omittit.

Unum superest addendum hoc loco, quod de benedictione prædictorum cereorum nulla fit mentio apud Amalarium, Walafridum Strabonem, Alcuinum, Bedam, qui duo postremi cereos tantum à Pontifice dari asseruerunt. In Codice tamen Gregoriano, Gellonenfi, aliisque supra nongentos Annos scriptis Sacramentariis, nihil ea de re extat.

In aliquo Missali Ecclesiæ Turonensis ante Annos 800. scripto unica Oratio ad luminaria benedicenda reperitur, quam Martene *loc. cit.* exhibet, cum quibusdam aliis Ordinibus antiquis ad cereos benedicendos. Cætera spectantia ad hoc festum legi poterunt apud citatos Auctores, nec non apud Florentinum in Martyrologio Hieronymiano, & apud Hyacinthum de Gravefon in *tract. de Myleriis Christi dissert. 9. quest. ult.* & apud Menardum in *notis ad Sacramentarium Gregorianum pag. 40. & 41.*

Pro Ritibus servandis in Benedictione Candelarum, §. II.

V. Gavant. pag. 219. col. 2. num. 2. *Primo vestiendum erit Pallio violaceo super albam, &c.* Non est necesse, ut SS. Sacramentum amoveatur ab Altari, ubi facienda est benedictio Candelarum, si sibi sit Tabernaculum Sacramenti, & id colligitur ex Ceremon. Episc. lib. 2. cap. 17. §. 1. ubi præcipitur Celebranti, ut genuflectat, si ibi aderit SS. Sacramentum in Tabernaculo.

Paratur Credentia prout de more, in qua præter consueta pro Missa solemnè, ponitur vas cum medulla panis, & aliud vas cum aqua, scilicet bucale, cum pelvicula, & manutergio, pro lavandis, & extergendis manibus Celebrantis, post distributionem Candelarum; insuper etiam Crux processionalis; parentur item Ritualia, vel libri processionales, vas aquæ benedictæ, & Thuribulum cum Navicula; ex Bauldry *part. 4. cap. 3. art. 1. n. 6. & 7.* & Turrino *part. 3. sect. 1. cap. 1. de benedict. & distribut. Candelarum in die Purificationis §. Parantur.*

Præterea in plano prope cornu Epistolæ paretur alia Mensa, sive Credentia, Mappa munda cooperta, & super eam ponantur Candelæ cereæ albæ benedicendæ, & pulchro linteo tegantur, tanta verò sit copia Candelarum, ut sufficiant omnibus, quibus distribui, & dispensari debent, juxta loci consuetudinem; sed ea, quæ dabitur Celebran-

ti, sit major præ cæteris, & reliquæ majores, & minores, pro numero, & qualitate parinarum, quibus distribui debent, & pro locorum usu. Debet etiam Sacrista referre sufficientem numerum Candelarum pro lafirmis, & eas obsignare, ne distribuantur simul cum aliis.

In Sacristia præparentur Paramenta violacea, & alba respectivè, si dicatur Missa de Festo, sed pro Ministris Sacris pro benedictione Candelarum, & Processione, parantur etiam Planeta plicatæ ante pectus, si is prædicti Ministri Sacri utantur, sed sine Manipulis, ut videbimus infra,

VI. Rubr. n. 3. pag. 220. & Gavant. *ibid.* col. 2. lit. c. *Finita Tertiat, &c.* Circa finem Tertiat, accenduntur sex Candelæ Altaris, & apponitur Pallium violaceum Altari, si jam id factum non fuerit antea. Dum in Choro dicitur prædicta Tertia, Celebrans, & Ministri Sacri se parant in Sacristia, Celebrans videlicet Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo. Diaconus verò, Amictu, Alba, Cingulo, Stola Diaconali sine Manipulo, cum Planeta violacea ante pectus plicata. Subdiaconus etiam Amictu, Alba, Cingulo sine Manipulo, cum Planeta violacea ante pectus plicata. Acolythi verò induant Cotas, nisi prius id egerint.

Finita

Finita Tertia, accedant ad Altare Celebrans, & Ministri Sacri parati cooperto capite, hoc modo. Primò præcedit Thuriferarius sine Thuribulo, manibus junctis, nudo capite, habens à sinistris alium Acolythum pariter nudo capite, & manibus junctis, qui suo tempore intersiet de vase aquæ benedictæ. Postea sequuntur duo Ceroferarii deferentes Candelabra cum candelis accensis; deinde Ceroferarius etiam nudo capite, & manibus junctis; ultimò Celebrans, mediis inter ministros Sacros, elevantes fimbrias anteriores Pluvialis manu proximiori, altera infra pectus adnotata, & transeundo per Chorum, antequam perveniant ad Altare, Celebrans, & Ministri salutant hinc inde existentes in Choro. Ceremon. Episc. lib. 2. cap. 17. § 1.

Si verò Celebrans sit in Alba, & non habeat Pluviale, tunc Ministri Sacri præcedunt unus post alium, manibus junctis, & cooperto capite. Bauldry *suprà* art. 2. n. 4. Bissus *lit. B. n. 84. §. 2.* Gerlacus Vinitor *part. 6. tit. 2. n. 6.* Turrinus *suprà* §. Ordo.

VII. Gavant, pag. 220. col. 2. lit. e *Osculo prius Altari, &c.* Cùm ad Altare pervenerint, deponunt birreta juxta solitum, & Ceroferarii deponunt Candelabra supra Credentiam; tum Celebrans, mediis inter Ministros Sacros, ascendit ad Altare (at si esset dies Dominica, sit prius aspersio aquæ benedictæ, ut de more) & illud osculatur in medio, & cætera peragunt, ut optimè notat Gavantus, & prout cum eo diximus in Dominica Palmarum. Quapropter legenda sunt, & pro hac functione, & Processione facienda, ea quæ ibidem à nobis addita, & observata fuere.

VIII. Gavant pag. 220. col. 2. lit. f *Manibus junctis, &c.* Celebrans post Altaris osculum, cùm se receperit ad cornu Epistolæ, ibi manibus non extensis, sed junctis, incipit in tono feriali *Dominus vobiscum*, non vertens se ad Populum, & Orationem *Domine Sancte Pater, &c.* recitat cum se-
G. vant, Rubr. Miss.

quentibus, ut in Missali. Dum dicit *Oremus*, vel profert nomen *Jesu*, vertit se ad Crucem (semper tamen junctis manibus) & caput inclinat; extensio manuum ad Orationem, ut alibi diximus, fit solum in Missa. Bauldry *suprà* nom. 7. & Bissus *suprà* §. 3. & 4. & quia in his Orationibus occurrit aliquando, esse benedicendas Candelas manu dextera, quando scilicet ad aliqua verba habetur hoc ✠ signum, tunc Celebrans dextera benedicit Candelas, super illas producendo signum Crucis, sinistra manu super Altare posita; & Diaconus elevat à dexteris fimbriam Pluvialis anteriorem, ut Celebrans liberè dexteram movere possit. Bissus *suprà* §. 5. Bauldry *suprà* n. 8. Vinitor *suprà*.

In Choro, dum fit hæc Candelarum benedictio, stant omnes versus Altare pado capite, inclinantes se ad nomen *Jesu*, & respondentes Celebranti quando opus est.

Dum à Celebrante dicuntur ultimæ Orationes, tempestivè Thuriferarius præparat Thuribulum, ponendo in eo arduentes Carbones, & alius Acolythus accipit Vas aquæ benedictæ cum Aspersorio, & ambo se locant in plano in cornu Epistolæ prope Diaconum, usque ad finem Orationum. Thuriferarius autem, cum Thuribulo in dextera, & Navicula in sinistra, debet esse propinquior Diacono; Alius vero Acolythus tenens ambabus manibus Vas aquæ benedictæ, stabit prope dictum Thuriferarium. Bauldry *suprà* n. 10. Bissus *suprà* §. 7.

IX. Rubric. n. 4. p. 220. *Finitis Orationibus, Celebrans ponit Incensum, &c.* Finitis postea Orationibus, accedit Thuriferarius ad Altare, & Celebrans, ministrante Diacono naviculam cum solitis osculis, & Thuriferario thuribulum in eodem cornu Epistolæ, imponit, & benedicit Incensum more solito, & ea omnia deinde peraguntur, incensando, & aspergendo Candelas aqua benedicta, sicuti factum est in benedictione Cinerum, & Palmarum, Asperis, & incensatis Candelis,
Uuuu delis,

delis, & reddito juxta morem asperforio, & thuribulo Diacono, Thuriferarius deponit thuribulum in loco congruo, & similiter alius Acolythus vas aquæ benedictæ deponit, ut ambo Candelarum distributioni mox faciendæ inserviant. Bissus *suprà* §. 10. Bauldry *suprà* n. 11.

Hic notandum, quòd non sunt benedicendæ eæ Candelæ, quas quisque tunc ante distributionem gestat in manu: Gavant. in *Manuali Episc. Vers. Benediction* n. 12. neque distribui debent Candelæ, nisi præsentibus in Ecclesia. Candelæ benedictæ ad ægrotos tantùm mittuntur. Idem Gavant. *suprà* n. 13. & S. C. Episc. ita decrevit anno 1581.

X. Rubric. n. 4. pag. 220. & Gavant. ibid. col. 1. lit. g. *Accipit Candelam &c.*) Completa benedictione Candelarum, ut *suprà*, Celebrans accedit ad medium Altaris, Diacono, & Subdiacono hinc inde comitantibus, tum facta Cruci simul mediocri inclinatione, statim convertit se ad Populum, remanente Diacono à latere Epistolæ, & Subdiacono à latere Evangelii, qui stabunt toto tempore distributionis in medio Suppedanei, paululum tamen remoti ab ora illius, ut qui accepturi sunt Candelas, commodè super eam genuflectere possint; at si Suppedaneum sit nimis angustum, tunc hi genuflectent super secundum gradum. Celebrans autem stabit nudo capite, ex Decreto S. R. C. 18. Julii 1626. & dato in nostro Indice sub num. 200. inter Diaconum, qui à sinistris Candelas ab Acolycho acceptas, osculatas prius, ei tradit distribuendas; & Subdiaconum, qui à dexteris ejus Pluviale sustinet. Nicolaus de Bralion 3. part. cap. 5. n. 5. Bissus *suprà* §. 21. Bauldry *suprà* n. 12. Interim Ceremoniarius, vel alius, cum debita reverentia Altari, vadit ad Chorum, ubi cum debitis inclinationibus invitat Dignorem de Clero, qui ipso Ceremoniario comite, cum suo habitu Choralis, & non cum Stola, accedit, facta inclinatione solita Choro, ad Altare, quò

cum pervenerit, facit cum Ceremoniario, qui erit à sinistris ejusdem Dignioris, ante infimum Altaris gradum genuflexionem unico genu (si tamen sit aliqua Dignitas, seu Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, & non asservetur Sacramentum in Tabernaculo, non genuflectit, sed profundam facit reverentiam) & postea facta Celebranti profunda reverentia, ascendit ad gradum proximiorum Suppedanei Altaris, ibique sumpta à Diacono, stante à sinistris Celebrantis, Candelâ benedictâ pulchriori, sine osculo manus, & non accensâ; ex Cerera. Episc. lib. 2. cap. 16. §. 15. vel etiam accensâ, si sit consuetudo, ex eodem Ceremoniali *suprà*, eidem Celebranti, stanti in Suppedaneo Altaris, ut *suprà*, Candelam eandem tradit, cum osculo ipsius tantùm ab utroque, & non manus; mox Celebrans eam tradit alicui Cappellano, sive Acolycho tenendam, donec facta sit tota distributio; ex Ceremoniali Episc. lib. 2. cap. 17. §. 2. & Bauldry *suprà* n. 13.

XI. Gavant. pag. 220. col. 2. ead. lit. g. *Tradatur & Candelâ Ministris, &c.*) Deinde Diaconus, acceptâ aliâ Candelâ ab Acolycho, stante à sinistris ejus, tradit eandem Candelam Celebranti, etiam cum osculo tantùm illius, & præfatus Celebrans statim incipiet distribuere Candelas primò eidem Digniori, deinde Diacono, & Subdiacono paratis, si sint Canonici (si verò non fuerint Canonici, tunc prædicti Ministri Sacri, cum debitis reverentiis Altari, & Celebranti, accipient Candelas genuflexi, ante omnes Beneficiatos, seu Mansionarios, & non prius; quas Candelas, ac etiam Celebrantis manum deosculabuntur) mox aliis omnibus Canonicis per ordinem, habitu Canonicali indutis, qui bini cum debitis reverentiis accedent ad Celebrantem, & inclinati tantùm (& non genuflexi) ab eo Candelas accipient, quas tantùm deosculabuntur; ex Ceremon. Episc. *suprà*. Supradictus Dignior Sacr-

Sacerdos de Choro, sive Vicarius, sive Dignitas, vel Canonicus, Cerem. Episc. *suprà*, accepta Candelà, descendit in planum (advertens ne directè terga vertat Celebranti) ubi iterum ad Altare convertitur, & eidem, ac Celebranti, & deinde Choro, simul cum Ceremoniario, debitam facit reverentiam, ut *suprà*, postea, eodem Ceremoniario comite, ad suum Stallum redit, ex Bauldry *suprà* n. 14.

Deinde Beneficiati, seu Mansionarii, & Clerici, ac ceteri omnes, similiter bini, cum debitis reverentiis accedent, & genuflexi Candelas accipient, illas ac etiam manum Celebrantis deosculantes, & omnia peragentes, sicut diximus de iis, qui procedunt ad accipiendos ramos Olivarum in Dominica Palmarum, Ceremon. Episc. *suprà* §. 3.

XII. Gavant pag. 220. col. 2. eadem lit. g. *Ministrantibus tum Prælati, &c.*) Nec Rubricæ, nec Ceremoniale declarant ordinem, quo Prælati, si adsint in Collegiatis, accipiunt Candelas à Celebrante. Convenire tamen videtur, quod si aliquis Prælati assistat in Choro, quamvis non sit de gremio Ecclesiæ, modò tamen aliquam in ea auctoritatem, si non jurisdictionem habeat, & assistat cum Rocchetto; ut loco Dignioris, & Canonici illius Ecclesiæ Collegiatae, accedat ad Celebrantem, & illi Candelam tradat, & immediatè post ab eodem Celebrante suam accipiat. Alii Prælati possent suas accipere Candelas immediatè post Diaconum, & Subdiaconum: Si tamen ipsi, Diaconus, & Subdiaconus, non essent Canonici, possent etiam ante illos eas accipere, sicut accipiunt Canonici Cathedralis Ecclesiæ, ut diximus; ex Nicolao de Bralio *suprà* n. 6. Prælati supradicti non genuflectunt Altari, nisi adsit Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, nec manum Celebrantis osculantur, ex Rubrica Missalis de Festo Purif. sed tantum Candelam accipiunt cum inclinatione Celebranti, quæ inclinatio exigua, seu

simplex esse debet, ut à pari colligi potest ex Cerem. Episc. *lib. 2. cap. 8. §. 28.*

Si Episcopus non faciat hanc sacram functionem, sed solùm interfit eidem, debent ea servari, quæ diximus suprà in distributione Palmarum, & de qua re agit Bauldry *suprà* num. 20. & Billus *suprà* §. 18. & sicut prædicto Episcopo interefenti, ita supradictis Prælati, si adsint, & non accedant ad Altare, poterit per aliquem Sacerdotem tradi Candelas, cum debitis inclinationibus, & osculis. Castaldus in Praxi Ceremoniarum *lib. 3. sect. 3. cap. 4. n. 6.*

XIII. Rubric. n. 4. pag. 220. *Et ultimo Laicis, &c.*) Facta distributione Clericis, Candelas distribuuntur Magistratibus, & Nobilibus, pari disciplina, etiam ad Altare, & cum osculis; quod si facienda sit etiam aliis laicis distributio, Celebrans descendit ad Cancellos Presbyterii, & eam facit eo modo, quo Clericis, & pari disciplina, quæ servatur in distributione Palmarum, de qua *suprà* locuti sumus. Non convenit tamen, ut Fœminæ manum Celebrantis osculentur, nec etiam, ut fiat eis distributio ad Altare. Ex Cerem. Episc. *lib. 2. cap. 16. §. 10.* & Bauldry *suprà* n. 14.

Quod spectat ad ordinem recipiendi Candelas inter Clerum, & Magistratus, servari debet Consuetudo laudabilis locorum; sed præstat, ut Clerus semper præferatur, ut par est, præsertim ubi viget talis consuetudo. Ex Cerem. Episc. *suprà*, & Bauldry *suprà* n. 15.

Si autem tanta sit Populi frequentia, ut distributio fieri non possit à Celebrante, nisi Clericis, Magistratibus, & Nobilioribus (quæ semper ab eo solo fieri debet) deputetur aliquis Sacerdos (vel etiam plures) si Celebranti placuerit, qui superpelliceo, & Stola violacea indutus, Candelas minutiones per Ecclesiam distribuat Populo utriusque sexus, Acolythis ministro eas ipsi offerente, cum osculis Candelarum tantum. Cerem. Episc. *lib. 2. cap. 16. §. 12.* Bauldry *suprà* n. 26. Gerlacus Vinitor *suprà* n. 13.

XIV. Rubr. n. 4. p. 220. & Gav. ibid col. 2. lit. g. *Et cum inceperit distribuere Candelas, à Choro cantabitur Antiphona, qua. & Canticum repeti possunt usque. &c.* Cum inchoatur distributio Candelarum, Cantores incipient Antiphonam: *Lumen ad revelationem gentium, &c.* ut in Missali. Cerem. Episc. *suprà* §. 4. quam Antiphonam Clerus profectitur, eamque post singulos *ÿÿ*. Cantici: *Nunc dimittis &c.* integrè repetit, quos *ÿÿ*. Cantores ipsi decantant soli, & repeti possunt cum prædicta Antiphona, usque ad finem distributionis. Quare si ita protraheretur distributio, ut esset repetendum prædictum Canticum, dicto illius ultimo *ÿ*. & omisso *Gloria Patri*, repetatur à capite: *Nunc dimittis &c.* unde versus *Gloria Patri* dicatur semel tantum in fine quidem Cantici, & completa distributione Candelarum. Ex Bauldry *suprà* n. 22. Bill. *lit. B. n. 84. §. 11.* Vinitore *suprà*, & aliis communiter.

Dum Cantores procedunt ad recipiendas Candelas, semper remaneant aliqui, qui in Choro cantent *ÿÿ*. & Antiphonam, usque procedentibus, alii substituantur; quapropter si pauci sint Cantores, ii non procedant bini, sed unus post alium singillatim, ut semper remaneant aliqui Cantores, & nunquam cesset cantus in tota distributione. Bauldry *suprà* n. 23. Eundem Ritus servandum esse in distributione Cinerum, & Palmarum, suo loco diximus.

Circa finem distributionis, Magister Ceremoniarum curet, ut accendantur Candelæ pro Processione, nisi à principio fuerint accensæ. Cerem. Episc. *suprà* §. 15. & *lib. 2. cap. 17. §. 5.*

Notandum hic occurrit, quòd cum Ordo Romanus præscribat, quòd præfata Candelæ solent à Celebrante distribuuntur, ideo nullo modo à Ministris Sacris, neque ab aliis inferioribus Ministris, juxta prædictum Ordinem, distribui possunt, quia cum hujusmodi sacra functio sit actio individua, seu per plu-

res Ministros dividi non possit, ab eodem Celebrante separari non debet; hoc tamen non obstante advertendum est, quòd supra dicta Ordinis Romani dispositio ita debet intelligi, ut distributio Candelarum prohibita sit fieri à prædictis Ministris Sacris, vel ab aliis de Clero, & Personis dignioribus; nam quòd ab aliquo Sacerdote, si Episcopo, vel alii Celebranti placuerit, & si sit consuetudo Ecclesiæ, seorsum distribuuntur Candelæ minores Populo utriusque sexus, dum Episcopus, seu Celebrans alias distribuit Clero, & laicis dignioribus, habetur in Ceremoniali Episc. *lib. 2. cap. 16. §. 12.* ut paulò antè innuimus.

Rursus notandum etiam occurrit, quòd quamvis Ceremoniale Episc. *lib. 2. cap. 16. §. 10.* prohibeat, ne Episcopus Candelas Mulieribus distribuat, hæc prohibitio tamen locum non habet, quoad alium Celebrantem, cui permissum est, ut ad Cancellos, non verò ad Altare, Candelas, & etiam Palmas. Populo utriusque sexus distribuat; quod non est concessum Episcopo, quia, cum hic in sua Sede Episcopali Candelas pro sua dignitate distribuat, & cum Mulieres, nec non alii laici ventur in ingrediti in Presbyterium, ac proinde ad prædictam Sedem Episcopalem accedere non debeant, hinc fit, non posse Episcopum Mulieribus Candelas dispensare.

Hic summam collecta exhibemus Decreta, spectantia ad præsentem distributionem Candelarum, & etiam Palmarum.

Affluentis ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, sed quilibet debet accedere secundum prærogativam sui ordinis, S. R. C. 13. Maji 1603. & datur in nostro indice sub n. 21.

Benedictio, distributio Candelarum, & Palmarum, regulariter potest fieri in omnibus Ecclesiis, tam Collegiatis, quàm Parochialibus, tam Secularibus, quàm Regularibus, S. R. C. 28. Aprilis 1607. & datur in nostro indice sub n. 55.

In accipiendis Cineribus, Candelis, & Palmis, attendatur consuetudo, in Vicario, & Canonicis, & aliis, nisi Canonici sint parati. S. R. C. 15. Martii 1603. & datur in nostro Indice sub n. 85.

Benedictio Candelarum, Palmarum, Cinerum, & alias similes functiones facere, quas faceret Episcopus praesens, eo absente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non vero ad Canonicum hebdomadariam pertinet. S. R. C. 21. Martii 1609. & datur in nostro Indice sub n. 96.

Absente Episcopo, benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis, fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. & datur in nostro Indice sub n. 209.

Cum Episcopus benedicit Cineres, Celebrans debet imponere Cineres Episcopo: & idem servari debet die Candelarum, & Palmarum, juxta Ceremoniale Episc. in cap. de Festo Purificationis, & de Dominica Palmarum. S. R. C. 12. Julii 1627. in *Brun- dusina*, & datur in nostro Indice sub n. 211.

Dignior Sacerdos, ad quem spectat Candelam, Cineres, & Palmas Sacerdoti celebranti in die Purificationis, in Feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum ministrare, debet ab eodem Celebrante supradicta accipere stans, non vero flexis genibus. S. R. C. Augusti 1664. & datur in nostro Indice sub n. 421.

Dignior de Clero, a quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, & Palmam, debet accedere ad Altare sine Stola, recipere Candelam, Cineres, & Palmam a Celebrante, & osculari manum Celebrantis porrigentis Candelam, Palmamque. Ita S. R. C. 14. Februarii 1705. in *una Cappuccinorum Gallie*, & datur in nostro Indice sub n. 590.

Haec duo postrema Decreta quoad Dignitatem de Choro, qui porrigit & deinde recipit a Celebrante Candelam, &c. stans, seu genuflexus, conciliari possunt, dicendo,

quod primum loquitur de Canonicis, qui inherendo Cerem. Episc. lib. 2. cap. 17. stantes, & solum inclinati, Candelam, &c. recipiunt a Celebrante; posterius vero Decretum non loquitur de Canonicis, sed de aliis inferioribus in Ecclesiis non Collegiatis, praesertim vero Regularium, qui genuflexi Candelas, &c. recipiunt, osculando Celebrantis manum.

Benedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum, &c. non sunt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. & datur in nostro Indice sub n. 565.

XV. Rubric. n. 5. pag. 220. *His expletis, &c.*) Completa distributione, & non prius, Cantores supradicti cantant graviter: *Exsurge Domine, &c.* ut in Missali, & Chorus prosequitur, & interim Celebrans, si distributio Candelarum terminatur ad Altare, pro lavandis manibus non descendit in planum, sed eas lavat, stans super suppedaneum in cornu Epistolae. *Biss. lit. B. n. 86. §. 12* quae etiam cum medulla panis fricat, si opus sit, Acolytho Ministro fundente aquam, tenente bacile manu sinistra, & Sacris Ministris hinc inde ministrantibus manutergium (quia tunc non sunt occupati) cum reverentiis antè, & post; vel potius partes anteriores Pluvialis illius hinc inde elevat, & turcunus ex aliis Ministris manutergium porrigit Celebranti. A qua verò, & medulla panis in Sacrarium infundantur. *Baldry supra n. 28. Gerlacus Vinitor supra n. 14.*

Si fiat distributio Candelarum ad Cancellos, Celebrans non ascendit ad Altare, ut lavet manus, sed procedit per planum ad latus Epistolae, & ibi prope Credentiam in plano manus lavat, ut *supra*, quibus lotis, ascendit (factis debitis reverentiis) ad cornu Epistolae, ubi dicto *Exsurge Domine, &c.* submissa voce, cum Psalmo, & repetita Antiphona a Cantoribus, Cerem. *supra* §. 13. ipse Celebrans (manibus junctis) subdit im-

Uusu 3

mediatè

mediatè *Oremus*, stantibus Ministris Sacris, ut ad benedictionem Candelarum. Ex Bauldry *suprà* n. 29. & Vinitore *suprà* n. 14.

XVI. Rubric. n. 5. pag. 220. & Gavant. pag. 221. col. 1. lit. h. *Post Septuagesimam.*) Si hoc Festum celebretur post Septuagesimam, tunc dicto à Celebrante *Oremus* ante Orationem *Exaudi quasumus Domine*, Diaconus adhuc stans à dexteris Celebrantis, immediatè genuflexus cantet: *Flectamus genua*, omnibus genuflectentibus, excepto solo Celebrante, & Subdiaconus à sinistris etiam primus omnium surgens cantet: *Levate*, tum Celebrans dicit Orationem, stantibus Ministris, ut *suprà*. Bauldry *suprà* n. 30. Bissus *suprà* §. 13. Gerlacus Vinitor *suprà*.

Quamvis autem in hac sacra functione

Diaconus, & Subdiaconus stare debeant hinc inde à lateribus Celebrantis, tamen convenientius videtur, ut ad dicendum prædicta accedant ad locum suum ordinarium post Celebrantem, & sic etiam faciliùs, & decentiùs genuflectent, postea verò poterunt accedere hinc inde ad ipsum Celebrantem, dum dicit Orationem. Nicolaus de Bralione *part. 3. cap. 1. n. 11.*

XVII. Rubric. n. 5. pag. 220. & Gavant. pag. 221. col. 1. lit. i. *Non in die Dominica, &c.*) Hoc est, si Festum hoc occurreret in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quingagesimæ, tunc non dicitur *Flectamus genua*; nam die Dominico non genuflectimus, ob rationes à Gavanto *hic* allatas.

Pro Ritibus servandis in Processione hujus diei. §. III.

XVIII. Rubric. n. 6. pag. 221. *Deinde fit Processio, &c.*) Finita Oratione supradicta, Celebrans accedit ad medium Altaris, ubi imponit thus in Turibulum, & cætera peraguntur, prout diximus in Dominica Palmarum *num. 12.*

Tum ordinatur Processio per Ceremoniarium circumcirca Ecclesiam, vel aliàs, juxta situm Ecclesiarum, prout diximus etiam de Processione Palmarum, advertendo, quòd Subdiaconus benedictionis, non autem alius, accipit Crucem processionalem, sibi allatam ab aliquo Acolyto, & præcedente Thuriferario, medius inter Ceroferarios, vadit ad Cancellos, seu aditum Cappellæ majoris, ibique sistit se ante Altare, donec omnes de Choro, qui eum sequuntur, hinc inde ordinati fuerint. Nicolaus de Bralione *suprà* n. 13.

Interim Diaconus accipit Candelam Celebrantis de manu illius, qui eam tenet, & eandem ipsi Celebranti porrigit cum debitis osculis, & mox accepta sua Candela, genuflectit, surgit, & stans versus Populum à tergo Celebrantis, alta, & sonora voce can-

tat: *Procedamus in Pace*, quo dicto, Chorus respondet: *In nomine Christi, Amen*; tunc, & non priùs, Celebrans vertit se ad Populum, descendit in planum ubi facta reverentia Altari, accipit à Diacono birretum cum solitis osculis antè, qui etiam accipit suum de manu Ceremoniarium; & postea incipit Processio, præcedente Thuriferario, prout diximus in Dominica Palmarum n. 13. quæ iterum legi poterunt, advertendo, quòd interessentes Processioni deferre debent Candelas accensas, sicut Palmas, manu extrema. Cùm inceptæ fuerint Antiphonæ à Cantoribus, quæ habentur in Rituali, & Missali, statim Chorus eas prosequi, & complere debet, uti moris est, & si Processio longior sit, repetantur eadem Antiphonæ.

In Processionibus hujusmodi Candelarum, Palmarum, & similium, quæ sunt per Ecclesiam sine SS. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata; quòd si pulsatur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu à transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, & deposito SS. Sacramento,

mento, progrediendum est, ut declavit S. R. C. 1. Martii 1681. & datur in nostro Indice sub n. 457.

Dum Cantores in reversione Processionis ingrediuntur in Ecclesiam (vel in Presbyterio, si Processio non exiit extra Ecclesiam, ut notavit Gavantus hoc tit. sub Rubr. 7. n. 8.) absolute cantant Responsorium: *Obrulerunt*, ut in Missali, quod Chorus profecquitur, deinde iidem Cantores cantant solitotum & sequentem: *Postquam impleti sunt, &c.* & Chorus cantat repetitionem Responsorii: *Sicut scriptum est, &c.* denique Cantores cantant *Gloria Patri, &c.* & Chorus eandem repetitionem iterum cantat. Nicolaus de Bralio *suprà* n. 18, qua finita, omnes suas Candelas extinguunt, & omnes de Clero pergunt in Chorum. Bissus *lit. B.* n. 84. §. 16.

XIX. Rubric, n. 7. pag. 221. *Finita Processione, Celebrans, & Ministri.* Accedunt ad Sacristiam, si hæc non multum distet ab Altari, si verò distet, facta debita reverentia Altari, & Choro, Celebrans cum præfatis Ministris se retrahit ad aliquem locum congruum viciniorem, puta retro Altare, ubi accipiunt paramenta alba pro Missa; quæ tamen si cantanda sit de Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, tunc Celebrans deponit Pluviale violaceum, & accipit Manipulum, & Planetam violaceam. Ministri verò Sacri deponunt Planetas plicatas, & accipiunt respectivè suos Manipulos, cum Dalmatica, & Tunicella simili, &c. violacei coloris. Cerem. Episc. *lib. 2. cap. 16. §. 17.* Bauldry *suprà* n. 9. Bissus. *suprà*.

Si autem hoc Festum Purificationis esset Titulus Ecclesiæ, tunc post Processionem Candelarum cantatur Missa de Festo, sicut fit illius officium, licet occurreret in una ex supradictis Dominicis, quod est conforme Rubricis generalibus; cum enim prædictæ Dominicæ sint solùm secundæ Classis, procul dubio cedunt Festo Titulari, vel Patrono,

quod est primæ Classis. Bissus *lit. F. n. 76. §. 4.*

Item si in Festo Purificationis occurreret Festum Patroni, vel Titularis, tunc post Processionem Candelarum, Celebrans, & Ministri Sacri, depositis violaceis paramentis, induunt se paramentis convenientibus pro Missa illius Sancti, de quo fit Officium; ob eandem rationem mox allatam, nimirum quia Patronus, vel Titularis, cum sit primæ Classis, præcedit Festo Purificationis, quod est secundæ Classis. Advertant verò Celebrans, & Ministri Sacri, ut supradictum est, ne unquam paramenta sacra sumant ad Altare, præsertim in medio, quod solis Episcopis conceditur, vel aliis habentibus usum Mitræ, & Baculi.

Ex huc usque dictis liquet, quòd Decretum editum à S. R. C. die 25. Januarii 1603. & datum in nostro Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Breviarii, nimirum-- Festum Purificationis B. V. M. si venerit in Dominica Sexagesima, celebrandum est cum Commemoratione Dominicæ -- Liqueat, inquam, quòd hoc Decretum intelligendum venit de Festo Purificationis tamquam Titulari Ecclesiæ; nam cæteroquin in Ceremon. Episc. *lib. 2. cap. 16. §. 17.* præscribitur, quòd, si hujusmodi Festum veniret in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, non mutantur paramenta Altaris, nec Episcopi, sed remanent eadem violacea, & Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, quia fit de Missa de Dominica secundùm regulam in Rubricis Missalis sub hoc Festo positam; & præterea additur in eodem Cerem. Episc. *ibidem*, quòd si Missa fiet de Festo Purificationis, Episcopus, & omnes capiunt suas Candelas accensas in manibus usque ad finem Evangelii, & iterum ad elevationem SS. Sacramenti eas tenent accensas usque post Communionem. At quando dicitur Missa de Dominica, sicuti dici deberet in prædicto casu, præscribit, inquam, Ceremoniale *ibidem*, quòd Candelæ amplius non accenduntur, neque

neque ad Evangelium, neque ad elevationem SS. Sacramenti. Rursus patet ex Decreto edito die 12. Junii, & dato in nostro Indice sub n. 209. quod idem, qui benedicit Candelas in hac sollempnitate, debet celebrare Missam. Videatur etiam aliud Decretum datum supra à nobis in nostris Additionibus hac part. 4. tit. 6. de Feria IV. Cinerum, usque ad Dominicam de Passione num. 20. ubi magis confirmatur hæc doctrina.

Sumptis igitur à Celebrante, & Ministris Sacris, paramentis sibi convenientibus, à Sacristia procedunt omnes ad Altare, pro Missa celebranda more solito, nimirum præcedentibus Ceroferariis cum Candelabris accensis, & Thuriferario cum Thuribulo fumigante, non deferentibus tamen aliis Candelas benedictas accensas: Bauldry supra n. 9. Verùm si Celebrans, & Ministri sumperint paramenta non in Sacristia, sed in loco viciniore Altari, puta ut supra, retro illud; tunc accedunt ad Altare, Ceroferariis non deferentibus Candelabra, neque Thuriferario Thuribulum. Bissus supra lit. S. n. 6. §. 18.

XX. Gav. pag. 221. col. 1. n. 10. An verò in Missa de Dominica Septuagesima sint tenende Candelæ accensæ, &c. In supracit. Rubrica 7. præscribitur Ritus peculiaris, servandus in Missa sollempni hujus diei, nimirum, quod dum legitur Evangelium, debent omnes tenere Candelas accensas; cantato autem Evangelio extinguuntur. Sed iterum tenentur accensæ ad elevationem SS. Sacramenti, usque ad completam Communionem Sacerdotis Celebrantis, aliorumque, si adsint communicandi. Diaconus tamen, & Subdiaconus nunquam tenent prædictas Candelas accensas, sed Celebrans solum, dum cantatur Evangelium, & non amplius, suam Candelam accensam tenet. Ex Bisso lit. M. n. 248. §. 1. & Halden part. 2. tit. 2. de Festis mensis Februarii 2. ejusdem.

Cùm igitur Candelæ teneantur accensæ ad Evangelium, & ad elevationem Sacramenti, idè paulò ante Evangelium, & ante elevationem SS. Sacramenti, Acolythus, aut aliquis alius Minister, sumpto lumine de Candelabris Ceroferariorum, accedit ad Choram, cum debitis reverentiis, & primam Candelam cujuscunque Ordinis accendit; alii verò Clerici sibi mutuo Candelas accendunt. Bauldry supra n. 10.

Celebrans autem, data benedictione Diacono ante Evangelium, stans in cornu Epistolæ, accipit ab aliquo Ceremoniarario, vel Acolytho Candelam suam accensam, cum osculis ab ipso Acolytho præstitis, eamque tenet ad Evangelium à Diacono cantandum, quo cantato, reddit eandem ei, à quo accipit, antequàm librum osculetur. Ex Bauldry supra num. 11.

Mover dubium Gavantus hoc num. 10. an in Missa de Dominica Septuagesimæ tenendæ sint prædictæ Candelæ accensæ, &c. & in progressu ex Textibus Rubricarum dicit, inferri posse, Candelas accensas teneri in honorem Beatæ Virginis, & consequenter in ejusdem Missa tantùm; & reverà, ut innuimus supra, hoc idem colligitur clarè ex Cerem. Episc. in quo præscribitur, quod si fiat de Dominica Septuagesimæ, &c. Candelæ non accenduntur, neque ad Evangelium, neque ad elevationem; & idem docet Halden supra, necnon Turrinus part. 3. sect. 1. cap. 1. §. Diaconus. Item sequitur, quod accendi non debent dictæ Candelæ, si cantetur Missa de alio Festo, Patrono, vel Titulari, ut optimè observant Bralio supra n. 19. Bissus supra, & clarè deducitur ex Ceremoniali Episc. supra.

Reliquum est, ut observemus, quod supradictæ Candelæ, quando tenentur accensæ post elevationem, tenendæ sunt non à genuflexis, sed à stantibus, ut notat Halden supra.

De prædictis Ritibus servandis in Ecclesiis Minoribus,

De præparandis pro Benedictione Cereorum, §. I.

Super aliquam Mensam parentur Cerei benedicendi, Thuribulum cum Navicula, Vas aquæ benedictæ, aliud Vas cum aqua, & manutergium, pro lotionem, & exterioriorem Celebrantis, ut supra; tunc si unus, aut tres tantum sint Sacerdotes, Celebrans paratus Alba, & Stola tantum, vel etiam Pluviali violaceo, tecto capite, & junctis manibus, accedit ad Altare, cum tribus Acolythis, qui procedunt nudo capite, & junctis manibus, facta debita reverentia, vel genuflexione Altari, prout congruit; & dictus Celebrans

ad illud ascendit, eoque osculato, se recipit ad cornu Epistolæ, ubi benedicit Candelas paulò antè detectas ab aliquo Acolythis, cum cantu, si adsint Cantores, aut sine cantu, si non adsint Cantores. Aliquis Acolythus, stans à cornu Epistolæ, elevabit anteriorem partem Pluvialis Celebrantis, dum format signum Crucis super Candelas. Si sit dies Dominica, fieri debet priùs aquæ benedictio, & aspersio, ut supra, ut diximus in Dominica Palmarum.

§. II.

In fine benedictionis, imposito, & benedicto thure, Acolythis ministrantibus, Celebrans aspergit, & incensat Candelas, ut supra, deinde in medio Altaris eas distribuit (accepta priùs sua à Presbytero, si adsit) Clero ad ipsum Altare, & Laicis ad Cancellos, debitis reverentiis servatis Altari, & Celebranti. Dum fit distributio Candelarum, cantatur Antiphona *Lumen ad revelationem*

gentium, & Canticum *Nunc dimittis* in Choro, ut supra, &c. si adsint Cantores, aliàs Celebrans eadem legit in cornu Epistolæ ante distributionem. Qua facta, Celebrans lavat manus, & deinde dicit Orationem, præmissis *Flectamus genua*, à se, ad quod genuflectit, & *Levate* ab Acolythis Ministro tunc surgente, si post Septuagesimam, & extra Dominicam peragatur talis functio.

§. III.

Deinde in medio Altaris iterum imponit, & benedicit incensum, accenduntur Cerei pro Processione faciendâ, & versus Populum Celebrans, tenens manu dextera Candelam accensam, dicit: *Procedamus in pace*, &c. tunc fit Processio, in qua Cantores canunt Antiphonas in Rituali notatas; vel si non ad-

sint Cantores, ipsemet Celebrans eas legit alta voce. Crux processionalis deferretur ab aliquo Acolythis inter duos Ceroferarios, si isti haberi possint, & in ingressu Ecclesiæ Responsorium: *Obtulerunt* decantatur, seu alta voce legitur ab ipsemet Celebrante.

§. IV.

Finita Processione, Celebrans Missam privatam celebrat, prout convenit illi diei, ad cuius Evangelium, si celebret Missam de Festo Purificationis, accenduntur Candelæ ad Evangelium, & ad elevationem Sacramenti, *Gavant. Rubr. Miss.*

usque ad peractam Communionem inclusivè, ut supra. Si autem dicatur alia Missa, quæ non sit de Festo Purificationis B. M. V. ut diximus supra, non accenduntur Candelæ.